



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Nobilissimum aspirationis, vnitiuique amoris exercitium quadriforme. Cap.
XLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Interior homo in delicijs spiritualibus, veluti piscis in aqua: & pariformiter mille modis Deus visitat impatientem amatorem spiritualibus delicijs & cognitionibus.

Sed hic oportet decepta corda, nec non & curiosos atque immortificatos amatores valde diligenter cauere, ne falsis reuelationibus decipiantur. Nam quando huiusmodi homines habent curiosum desiderium recipiendi dona interna, experimentales dulcedines, reuelationes, & similia, venit frequenter Angelus tenebrarum, transformans se in Angelum lucis, infunditque incrinsecus, aut ostendit foris in cordibus, vel sensibus plenis vanitate & vacuis charitate, deceptorium quoddam lumen, aut imagines, aut similitudines, & etiam immitit cogitationibus hominis quasi sit inspiratio diuina, & hoc etiam de futuris, quæ aliquando sunt vera, & interdum falsa. Istiusmodi vero curiosi, falsique amatores recipiunt talia (vtpote homines inexperti) cum magno desiderio, & venerantur tanquam à Deo venerint, delectanturque in huiusmodi intimo cordis gaudio: efficiuntur etiam ex hoc præsumptuosi, sapientes in oculis suis, à nemine consentiunt instrui, omnia sua magna reputant, intus depascuntur ab inani gloria: talique virulento pabulo animæ, diuini amoris affectum inficiunt. Sed verus amator in omnibus donis, quæ recipere potest, efficitur humilior, magis gratus, in propria voluntate magis mortificatus, ad implendum diuinum beneplacitum studiosior, non quiescens in aliquo dono, sed dumtaxat in datore omnium donorum.

Reuelationes falsæ quomodo fiant.

2 Cor. II.

Isa. 56

Amator verus.

Nobilissimum aspirationis, vnituique amoris exercitium quadriforme. Cap. XLVI.

Est etiam considerandum, quod exercitium aspirationis & vnitui amoris, maxime & vigorosissime in hoc tertio gradu cōsurrectionis practicatur, licet posset eius exercitium etiam in actiua vita inchoari: & ideo ipsū hic prosequemur, per quia hoc exercitium omnes tentationes & media inter Deum & nos statim amouentur: ipsum etiam est introitus ad altissimam perfectionem, quia magno impulsu perurget hominem festinare ad altissimam Dei assimilationem, in perfecta mortificatione omnium vitiorum, adeptioneque omnium virtutum. Ipsum denique est altissima cedrus in monte perfectionis, quæ quatuor ramis adornari debet, id est, quatuor exercitijs: quia quamuis istud exercitium perurgendo penetret omnes tentationes & occu-

Dddd 4. patio-

pationes, omnemq; multiplicatam, imò omne quod citra Deum est, etiam in momento, & ante nudam praesentiam Dei constituat exercitantem, Deo immediatè se vnire desiderantem, attamen oportet eum diu praeforibus stare, antequam eum Deus velit introumittere. Et tunc necesse habet discere pulsare quatuor modis exercitiorum, quibus dilectum suscipiet ad introumendum in vnitatem spiritus. Aduertere tamen & diligenter cauere debet, ne aliquod exercitium possideat cum proprietate, sed in sua introuersione obseruabit tractum spiritus sancti qui diuersis modis spiritum hominis post se trahit, & inflammat ad amorem suum, nunc per istud exercitium, nunc per aliud. Igitur quando aliquis praesentit se iam iamque impellendum interna operatione spiritus sancti ad aliquod exercitium, relinquere debet omnem proprietatem suorum exercitiorum, & sequi affectuosa promptaque voluntate tractum spiritus sancti, & se secundum illum exercitare: sed quando non inuenit aliquem specialem tractum spiritus sancti, nec etià ingressum ad Deum plenariè obtinere potest, tunc oportet vt seruet se in Dei praesentia per aspirationem vnitui amoris, in qua quatuor modi exercitandi principaliter continentur (velut quatuor mallei, quibus pulsatur ante ianuam istam pro ingressu ad fruendum simplici vnitatem cum Deo & in Deo) qui sunt, offerre, exigere, conformare, & vnire. Primò in sua ad Deum conuersione liberaliter offerre debet omnia quaecunque spiritus Dei per inspirationem suam exigere potest, specialiter perfectam abnegationem & contemptum sui ipsius, abscissionem omnium sensualium oblectationum, quibus inordinate possit cor maculari, licet sint res paruae, puta verba otiosa, vana societas, otiositas, leuitas, curiositas, & similia. Offeret etiam se in mortificatione naturalium passionum, vt sunt inordinata laetitia, tristitia, amor, & timor, & vana spes, etiam in voluntaria resignatione ad cendum omni sensibili seu experimentaligratia, deuotione, & varijs donis Dei, ad salutem proprie non necessarijs: similiter in prompta voluntate tolerandi omnem aduersitatem propter Deum, siue sit amisio amicorum, cognatorum, temporalium bonorum, vel honoris: sufferendi quoque aegritudinem, confusionem, poenam, tribulationem, pressuram cordis: & generaliter omnia, quae cuiquam in tempore accidere possunt, resignando se in his hilariter & cupidè. Etiam liberaliter se debet offerre diuino beneplacito, etiam si Deus eum ponere vellet ad aeternaliter tolerandum propter honorem, & amorem suum omnes poenas infernales,

Exercitia
quomodo
possidean-
tur.

Tractus
spiritus san-
cti quomo-
do sequen-
das.

Oblatio.

nales, quanquam non liceat se resignare ad hoc, ut à Deo separetur per voluntatem & amorem, prout sunt damnati. Et quamuis istud videatur impossibile, quòd voluntas se resignaret ad tolerandas æternas inferni pœnas, quia natura hoc omnino refugit, tamen per multiplicata desideria ad hoc formata, & superfluèntem infusionem gratiæ Dei, tandem ad hoc peruenire potest, quòd tam plena voluntate sine cordis retractione liberaliter se offeret Deo ad tolerandum æternaliter omnes pœnas inferni propter amorem eius, quàm paratus esset ad recipiendum omnia gaudia æternæ gloriæ, quia amor Dei tam purus in eo efficitur, & contemptus sui tam magnus, ut sibi indifferens sit quicquid de se fiat, dum modò potissimum diuinum beneplacitum in se perficiatur. Et quamuis sit impossibile Deum talia posse exigere vel desiderare; tamen vult, quòd homo propter amorem suum sit paratus resignare se in omnibus, quantumcunq̃ importabilia & graua sint. Et ideo amicis suis familiarib⁹ ista ante oculos ponit, ut scire possint quantum sibi ipsi mori velint propter Deum, sicut fecit Abrahā, quando præcepit ut Isaac filium suum dilectū occideret & offerret, quod duntaxat ad eum tentandum fecit. Cùm autem se voluntarium inuenit ad perfectè in his se resignandum, tunc poterit plena fiducia transire ad aliud exercitium, quod est exigere aut desiderare, quia Christus dicit: *Petite, & accipietis*. secūdo igitur debet exigere, & petere à Deo non solum omne quod habet, sed etiā omne quod ipse est. Ante omnia ergo petere debet nudum dilectum Deum, ad fruendū eo solo in suo immenso nudo amore: quia nulla re propriè licet homini frui, hoc est, finalem requiem constituere, præterquam in solo Deo: quia nunquam potest homo frui in re quiescere in aliquo dono Dei sine peccato, quantumlibet magnum, nobile, virtuosum, aut diuinum sit: sed duntaxat ut debet ipsis donis ad hoc, ut perueniat ad maiorem perfectionem. Et ideo quicquid Deus dederit citra seipsum, non sufficiet verò amatori, quin potius semper remanebit famelicus ad fruendum suū bono in nudo amore: statim enim ut amator quiescere inceperit in aliquo dono Dei, aut in experimentalī gratiā & deuotione, incipit refrigerescere & remitti à desiderio proficiendi. Post hoc exigere debet à Deo purissimam intellectus illuminationem ad cognoscendum plenissimè: Primò, potissimum diuinum beneplacitū, ad perfectè ipsum exequendum, ad quod tam paratus se offerre debet in omnibus, sine omni retractione cordis, sicut vmbra mouetur sine omni retractione

Eccc ad mo.

Resignatio
perfectiorū.

Genes. 22.

Desideriū.

Ioan. 16.
Exigendū
quænam
à Deo.

ambrosius
de off.

Lumen.
Medium.
Vultus.

ad motum corporis, vnde causatur. Tria enim quaedam sunt, videlicet lumen solis, luna, vel candela, medium, aut interpositum corpus, vnde umbra causatur; & ipsa umbra. Diuinitas igitur lumen, humanitas Christi corpus interpositum, & voluntas nostra: erit velut umbra, & mouebitur sine omni retractione cordis ad confirmationem vitae Christi, sicut umbra mouetur ad motum interpositi vnde causatur: ad quod implendum petere debet perfectam noticiam diuini beneplaciti. Secundò ad cognoscendum plenè seipsum, hoc est, abysalem suam vilitatem, ingratitude, & indignitatem omni boni, ut per hoc se possit perfectè cõtemnere & humiliare. Tertio, ad habendã perfectã noticiã omnium verarum virtutum: & præcipuè satagere debet magna orationum instantia pro ipsis veris virtutibus perfectè acquirendis, recipiendis, & possidendis: sed super omnia pro nudo Dei amore in se multiplicando, licet istud desiderium propriè inclusum sit in prima patione, qua desiderat solo Deo, hoc est, increato amore frui, & ex illo in nobis amor creatus crescit & multiplicatur. Istud autè exigere erit in nobis tam seriosum, quòd æstuans illud desiderium semper augmentandi, fruendi què increato amore per nostrum amorem erit velut conuulsio impetuosa inter DEVM & nos. Et iste impulsus tam continuus debet esse in nobis, quemadmodum anhelitus noster sine cessatione semper intrat & exit, si homo debeat vitam seruare. Sic etiam vita creati amoris consistit in sedula reuersione, cum æstuanti desiderio in suam originem, id est, increatum amorem, ut illi vnice inhareat & fruatur, sicut radij in sole dependent. Sunt præterea multa alia, quæ vtilia videtur, scilicet liberatio ab omnibus tentationibus spiritualibus vel carnalibus, ab omnibus pressuris cordis, ab omni derelictione, insensibilitate, ariditate, vel etiam orare pro sensibili gratia, deuotione, amore, spiritali dulcedine, reuelatione aut raptu: multa his similia, quæ propriè necessaria ad salutem non sunt, vnde nihil ex his exigere debemus aut petere, nisi in quantum honor Dei in ipsis consistit & salus animarum nostrarum: & si tunc à Deo nõ exaudimur, nõ debemus propter hoc pusillanimes aut inquieti corde fieri, sed in Deo plenè confidere, quòd huiusmodi nobis iam daret, si esset nobis salubre accipere.

Conformatio.

Tertium exercitium est, quòd fidelis amator iugiter laborabit se dilecto semper magis & magis conformare, & hoc isto modo: Cum ignis amoris in corde fuerit accensus, debet primò in ipso exurere omnem dissimilitudinem, hoc est, omnia vitia & defectus, omnes naturales

rales passionēs & immortificationem, omnes sensuales inclinationes & impatientiam: non tamen debet huiusmodi dissimilitudines singillatim per partes recollere, sed in vno fasciculo sumet omnes suas imperfectiones, & projiciet in immensum ignem diuini amoris, vt ibidem consumantur. Deinde consurget ardenti desiderio deformitatis, & scintillantibus, perurgentibus expositulationibus, exiget à dilecto, vt quibusdam virtutibus nōdam animā suam adornare dignetur, quibus Christus ornatus est. Et quantis diligenter attendere debeat spirituale suum exemplar, hoc est, Christum in omnibus eius perfectionibus, tam secundum diuinitatē eius, quā secundum humanitatē, ad hoc vt se cōformiter exornet: tamen pro illo ornato plus instare debet per orationes, quā per propriū laborem: quia virtutes & deformitas quomodo acquiruntur. Specialiter verò debet se cōformare humanitati Christi in omnibus virtutibus, quę præcipuē in suis perfectionibus relucēt in despectissima, dolorosissima & acerbissima morte. Et super omnia desiderabit Christo conformari in affectu profundissimę vilitatis, abiectionis, & humilitatis. Cū autem se exercet pro aliqua virtute obtinenda, puta abiectione sui ipsius, vel pro acquirenda humilitate, vel abnegatione sui in omnibus, in mortificatione proprię voluntatis & affectionis: si tunc se reuoluerit, vtrum virtutem illam plenariē acquirat, & Christo in illa conformis factus sit, perpedet an ad huiusmodi virtutem tam feruenter affectatus sit, vt se sine omni retractione cordis, id est, naturę & sensualitatis, in voluntate rationis liberaliter resignet (etiam tempore subtractę experimentalis aut sensibilis gratiæ) in virtutem, in qua probatur, tunc sciat se virtutem illam in summa perfectione diuino munere esse secutum. Verbi gratia: Exorret se ad acquirendum desiderium vel affectum contemptus & patientię, contingitq; postea ipsum stare valde delectum à sensibili amore & deuotione, & cum hoc sibi rō euenire, vt sibi imponatur aliquid multum confusiuum, & iniustè propter hoc grauiter valde castigetur, si tūc primus & vltimus motus cordis sui fuerit desiderium recipiendi, sine retractione cordis, huiusmodi confusionem & penam, ac si eam diu magna anhelatione expectasset, quomodo superbus honorē, & avarus lucrum temporalium cum desiderio recipere solet, virtutē illam perfecte habet. Istud Christus perfecte habuit, quia David dicit in persona eius: *Improperium expectauit cor meum* (id est, desiderium

Ecce 2 meum)

Deformitas quomodo acquiruntur.

Prohæmendum virtutis acquirendę.

Prohæmendum virtutis acquirendę.

Psal. 68.

meum) & miseriam. Sed si voluntas rationalis ita se volūtariam in ista offerat, vt tamen voluntas naturalis adhuc contradicat & inuoluntaria sit, signum est, virtutem necdum sufficienter exercitam ingemiuatis flammigeris affectuosis impulsibus & orationibus, per quae potissimè Deus conuenit dare plenitudinem suae gratiae & essentialis amoris.

Vnio cum
diuino be-
neplacito.

Quartum exercitium est vnire & transfundere volūtatem in diuinum beneplacitum, quia sicut exercitiū aspiratio is, & vnitiui amoris frequentatur propter quiescere in solo Deo, & flammigero desiderio vnum in spiritu cum eo fieri, ad quod nos perducit practicus & experimentalis amor: ita vt in isto exercitio vnionis homo eniti debet penetratiuis, astantibusq; desiderijs tam plenissimè (sine omni cordis retractione) voluntatem suam vnire atq; transfundere in potissimum diuinum beneplacitū, ita quòd ex impulsu nudi amoris ipsum diuinum beneplacitum semper erit summum suum desiderium, iucunditas & solacium in omnibus, siue sint exteriores aduersitates, sicut est agnatio, persecutio, oppressio, derisio, detractio, cōfusio, & similia: siue interiores, vt subtractio deuotionis, spiritualis consolationis, obnubilatio mentis & sensuum, infrigidatio spiritualium affectuum, tentatio, & similia. Et in tempore, quo Deus hac super eum permittit, sataget Deo magis fidelis inueniri, & sollicitius cauebit fluxum sensuum, in quaerendo solacium in rebus vanis, aut in extrouersione sensuum per leuitates & inutiles occupationes, cauebit etiam, ne efficiatur vitiosus in otio, sed semper, in quantum potest, in bonis exercitijs se teneat, vel ad minus in bonis operibus extrinsecus. Licet enim pro tunc bona opera vel exercitia non sint sapida, sunt tamen DEO magis accepta & nobis magis meritoria, si facimus quod in nobis est, quam illa opera, quae facimus in tempore experimentalis deuotionis, quia seruimus pro tunc Domino nostro fideliter quodammodo sumptibus proprijs. Et ad istud magis voluntariè perficiendum, formabit seu statuet in corde suo quandam confidentiam, quòd Deus omnem suam aduersitatem sibi mittit, vel erga se permittit, ad probandam suam fidelitatem, & additandum donis suis diuinis & gratijs iam fidelem inuentum, prout latius audiemus in sequenti cōsurrectionis gradu. Ad istum gradum spectat sextus gradus amoris, qui vocatur feruidus, de quo ait Linconiensis: Feruere dicuntur amore, qui per ardentem amorem interdum supra se sursum feruntur, sed statim proprio

Opera quae
de Deo
gratiora.

natu-

Amor fer-
uidus.

naturali pondere recidunt, sicut aqua bulliens à calore sursum exilit, sed subito recidit: Terigi autem in isto gradu exercitationis, de hac spirituali, in potentis animæ, elevatione, quæ provenit ex viuido quodam amoroso certamine aut lucta inter spiritum nostrum & diuinum, hoc est, quod vires nostræ amorosæ, actuâ impulsu erigunt se obuiant spiritui Dei, ita vt interdum aliquântulum eleuentur super seipsas, adherentes spiritui Dei, sicut acus magneti adheret. Et ex hoc efficiuntur vires ipsæ valde viuaces & actiue, dirigentes omnem cognitionem & affectionem tam valide in Deum, quod videtur homo nõ uti sensibus exterioribus, nisi velut in somno: Vnde dicit sponsa seu amans anima: *Ego dormio, secundum exteriorem hominem, & cor meum vigilat*, scilicet ad dilectum meum, quem in corde clausum habeo. Quia tunc anima: sitagit perducere dilectum ad intimum cordis sui, & collocare in nobilissimo loco, ex intimo affectu omnia contemnere, & solum dilectum puro amore amplecti. Alias (vt dicit Richardus, lib. 4. de contemplatione, capitulo decimo sexto) quamdiu possumus ex aliena qualicunque consolatione vel iucunditate concipere, non audeo dicere dilectum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Si ergo non fatigis introducere eum in intima tua, quomodo credam te velle vel posse sequi eum ad sublimia sua? Et ideo dicit Richardus consequenter: Certum ergo signum tibi sit, quæcunque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus (quibus homo trahitur supra seipsum in modo, quo Deo placuerit) nondum vocari, vel vocantem sequi nõdum mereris: quia ex quo Deus trahit in theoricos illos seu spirituales excessus multas animas, quæ tamen non perueniunt ad perfectum amorem, non negabit hoc eis, qui ad verum amorem perueniunt: quia semper praparet, quàm possimus mereri.

Quartus gradus consurrectionis, quæ animæ fidelis per aduersum probatur, & de causis subtrahæ gratiæ.

Cap. XLVII.

Quartus consurrectionis istius gradus originaliter consistit in subtractione spiritualis cognitionis & sensibilis deuotionis & amoris, vbi se homo tam pauperem inuenit & tepidum, de re ætium à Deo ac desolatam, ac si nullum vnquam saporem aut notitiam de Deo recepisset, cum tamen paulò ante tam opulētus extiterit in omni-

Eccc 3 bus ani-